

omnium difficile est, quippe cum illis maiorum virtus partam reliquerit gloriam dignitatem clientelas, cetera multitudo pleraque insiticia sit, sententias eorum a metu libera: ita in occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. libertas iuxta bonis et malis, strenuis atque 4 ignavis optabilis est. verum eam plerique metu dese- 6 runt. stultissimi mortales, quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se quasi victi recipiunt. igitur duabus rebus confirmari posse sena- 5 tum puto: si numero auctus per tabellam sententiam 10 feret. tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine et praesidii plus et usus amplior est. nam fere his tempestatibus alii iudiciis 6 publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane rei publicae consiliis adfuerunt; ne- 15 que eos magis occupatio quam superba imperia distinguere. homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quaecumque libuit probare reprehendere decernere, ea, uti libido tulit, fecere. verum ubi numero senatorum aucto per tabellam sen- 7 tentiae dicentur, nē illi superbiam suam dimittent, ubi 21 iis oboediendum erit, quibus antea crudelissime imperitabant.

12. Forsitan, imperator, perlectis litteris desideres, 1 quem numerum senatorum fieri placeat, quoque modo 25 is in multa et varia officia distribuatur; iudicia quoniam omnibus primae classis committenda putem, quae di-